

Vita Laudabilis,
SIVE
O R A T I O
In Iustis Exsequiarum

Reuerendissimi olim & Magnorum meritorum Patris

NICOLAI RODVLPHII

Totius florentissimi Ordinis Diui Dominici

GENERALIS MAGISTRI,

Crac. ad Ædes Sanctissimæ Trinitatis,

3. Nonas Augusti celebratis;

A

M. A N D R E A L I P N I C I O,

In Acad. Crac. Illusterrimi & Reuerendissimi olim PETRI

TYLICKI, Episc. Crac. Ducis Seueriae, Professore,

Canonico S. ANNÆ.

Habita.



C R A C O V I A,

In Officina Typographica Francisci Casarij, S. R. M. Typogr.

Anno Domini, 1650.

*allibus I. 61.
EVIS
OPTARIO*

Jucunda benè actæ vitæ memoria,
quasi tranquillitas, post tempesta-
tem veniens, conturbatam facile
animam consolatur.

S. Chrysost. Homil. 64. super Matth.

Optimum est memorabilem mori,
aliquo opere virtutis.

Seneca Epist. 68.

A D


Adm. Reuereñ. Patres,

P R A E C L A R V M
N I E W I A R O W S K I,

Peraugusti Conuentus Crac. Ordinis Prædica-
torum Priorem.

E T

S T E P H A N V M
P R Z Y B Y Ł O,
Sacré Theologiæ Magistros.



On in Colossis Rhodi, nec in Ægypti Pyramidibus, ast in animis, æuiterne memoriz, conscijs, nomen Virorum incliti Ordinis Vestri, sculpendum, Adm. Rñdi Patres: neque tantum, donec in terris, extabunt testes, & cultores virtutis, sed quoque post fa-
ta Vniuersi, səpiùs repetendum esse, cùm multis alijs de causis,
tum quia in Rñdismi. NICOLAI RODVLPHII GENERALIS
MAGISTRI, pios Manes, & benè affecti extitissent, quod huma-
num; & deuoti, quod Religiosum; & grati, quod iustum est; iu-
dicarem. Decuit enim, perenni laudum adorè viuere donatum, quem virtus ex-
tulit ad gloriam: nulla vicissitudo depresso ad inuidiam. Quem conatus magnis in
negotijis illustrarunt: solicitudines ab arduis nequaquam deteruerunt. Denique
quem fastigia honorum ob mansuetudinem venerandum, ob disciplinæ obseruan-
tiā, nusquam in ultimis ponendum præstiterunt. Quod si cæteris illis, & ratio vt
doctis, & mos longa serie ætatum, laudabilique vsu, in hac Sancta Religione firma-
tus, viros religionis Principes, etiam morte deletos colendi, vt pij fierent in Reue-
rendiss: GENERALEM vitâ funetum, suaserunt: Vobis Adm. Rñdi Patres, quo
maximis cum prosequeremini officijs, an non plurima persuaserunt? Atque
nihil dico, de cultu quo doctos & eruditos viros consuevisti venerari: nihil de
prudentia, quâ & Vestre famæ, multis sudoribus ac perpetuis vigilijs collectæ,
ad posteritatem propagandæ consulustis: & hominum sententijs, quæ & iudi-
cant cognitione rerum grauiter; & vindicant posteritatis memoriâ scuerè; & or-
nant documentis ingenij præclarè; segetem & materiam Vos celebrandi præbui-
stis: Verumenimuerò propensio illa, quâ Vos olim ille candidè complectebatur,
& integrimè souebat, & sollicitè promouebat ac ornabat, quem Vestrum ad ex-
solvendum sibi iure debitum obsequium non incitaret: imò quem non incenderet
& inflammaret? Crediderim nullum Vobis diurnæ ac nocturnæ quietis spatium,
impertire, beneficia illa, cùm ab eo Romam vocati, eum studiorum cursum, cuius
modo dulcissimo potimini fructu, sub eius patrocinio tenueritis constanter, & per-
feceritis laudabiliter: Səpiùs mentibus Vestris obuersatur facultatum illius, di-
gnitatis

gnitatis, modestiae, bonitatis, & aliarum virtutum amplissima possessio. Quid amor in Vos, quorum sese accommodabat studijs, vt insinuaret dulcedinem laborum? Quid iudicium illud, dum Vos Ecclesiæ commodos, Religioni necessarios, disciplinae hominum vtiles, & Reipub. Christianæ maxime salutares esse multoties censuerit? neque fortunatos Vos vñquam, existimauerit posse viuere; quin ad se quoque aliquam Vestræ felicitatis partem dimanare præsenserit: eamque vel secundum extreum vitæ diem, meritissimus Magister, à gratissimis discipulis, optimus Pater, à propensissimis filijs, Princeps demum in Religione clarissimus, à deditissimis clientibus relaturum se putauerit. Et quidem respondistis eius votis, dum Vos eximia Religionis ornamenta contuemur: ac velut egregiam sobolem, in locum desideratissimorum virorum, quos prodiga bonorum & vtilium hominum depopulatrix Parca, Vobis hinc sustulit numerosos, successisse prædicamus. Enim uero Tuam hic præcipue Adm. Rñde Pater PRÆCLAE NIEWIAROWSKI, solicitudinisne magis, an gratitudinis? in Rñdiff: GENERALEM, non possum non laudare contestationem. Hoc Tua nimium anxia cura, hoc mæror, in quo versabar, hoc inusitatus propemodum exsequiarum apparatus, quem & diuinis officijs deuotum, & præsentia Illustriss: Principis PETRI GEMBICKI, Episc. Crac. Ducis Seueriæ, maximè conspicuum, & frequentia doctissimorum virorum Religiosarumque omnium Familiarum ornatissimum reddidisti, luce palam declararunt. Itaque præclare Tecum, & cum Tuis animi facultatibus, quibus pulchrum in modum excellis, actum fuisse censerem: quia illo Patrono honestis in disciplinis Romæ profeceris: felicius cum illo putarem agi, cui supraea fati in necessitate constituto, diligenter suffragari contenderis. An non etiam in partem Tuæ beatitatis debes interpretari, quod dum cum pleno pietatis affectu prosequeris, recte sentientium hominum egregia laudis elogia promereris? Quid illud, cùm Reuerendiss: Ioannis Baptista de Marinis moderni GENERALIS MAGISTRI, bona recordationis NICOLAO RODVLPHIO necessitudinis vinculo cōiuncti, effusa benevolentia significatione LAVREAM MAGISTERII, vna cum Adm. Rñdo Patre STEPHANO PRZYBEŁO, laborum virtutumque fidelissimo comite, nuper obtinueris: nonne iam fructum pietatis longè vberimum mihi videris esse consecutus? Nonne? verum hanc dignitatem vtriusque Vestrum meritis dum competentem, ac gloriosam esse perspicio: etiam Ecclesiæ Dei, Sanctæ Religioni, omnibusque Vobis deuotis, & decoram, & vtilem, & salutarem fieri perquam cupio. Nec ambigo hæc mea vota exceptum sortitura cuentum: si Reuerendiss: vitæ fundi GENERALIS, quem pijs obsequijs coluistis; iucundam diuturnamque memoriam retineatis. Cuius arduos labores, communis boni gratiâ susceptos, quo crebrius Vobis liceat recordari, & cum veluti exemplar Heroicarum virtutum ad imitandum proponere: hanc distinctionem, quam ab ore dicentis haufistis, præ manibus quoque habere minimè detestetis. Rudiori quidem illa Mineruæ non absimilis: sed quoniam innuit potius facinora optimi Religionis Vestrae Principis, quam affabre factis depingit penicillis, non immerito à Vobis hæc contendere videbor Adm. Rñdi Patres: alterum ne colores quibus vestita, verum animum, quo conscripta, pensitatis: deinde, si parcet modestèque tanti Viri summa vitæ decora attigi, ne cunctanti; aut si aliquatenus prosecutus fuerim illius merita, ne proximus blandienti iudicer, vt prouideatis. Dat. in Coll: Maiori è Musæo meo.

Adm. Rñdis Paternitatib. Vestris

addictiſſ.

M. Andreas Lipnicius, Tylicianus
Profess. Canon. S. Anna.



Illustrissime ac Reuerendiss: PRINCEPS.

Illustres, Admodum Reuerendi, Magnifici, Clariſſimi, Eruditissimi Viri, cæterique quotquot adeſtis titulis Vestris,
AUDITORES ORNATISSIMI.

SI quis nunc adſit, in hac Magnifica Āede, Sanctissimæ TRINITATIS honori dicata, ignarus caſe, ac negotij, miretur forte, quæ sit tanta mali atrocitas, quæ omnes mæreſſe & ſqualere, omnes triftiā & luctu, omnes profundis ſpiriſſis, & deuotis orationibus calos obteſtari, compellat. Enim uero is tanta conſternationis animorum, ubi ſenſum rationemq; cognouerit: vna & id quod fieri cernit à nobis probabit: & iustum hoc ſucepti doloris conſilium nemini non commendandum affirmabit. Mouemur enim, maligni cuiuſdam ſideris, in ſanctam, pulcerrimam, ac florentiſſimam Sancti DOMINI propaginem, aspectu violento: Cum nondum ipſius animus, acerbum dolorem, ob extinetum, non ita pridem, in ſignem virum, THOMAM TVRCVM eliminauerit: nondum perquam ſauciūn pectus, cicatricem illius impressam letali vulnere, obduxerit: nondum genæ, copioso lacrymarum flumine, deformata, ſuum recuperauerint nitorem: & iam alterius Patris NICOLAI RODVLPHI GENERALIS, vitæ probitate, conſilio, ſapientiâ, cæteriſſim monumentis virtutum Clarissimi, funeſto decessu, ſequentium Parcarum tela, vel antiquam hic renouare plagam, vel recentem ubi inſlignant vehementius, querere contuemur. Superi boni! quis non turbetur votorum humanorum fluſſa & aduoca ſpe? Illi namq; luce bodiernâ parentamus, cui omnes Ecclesiæ bonorum ſtudioſi, calos fauentes, vitæ curſum optatum, ætatis Miryades nullis defini- tas cancellis cupiebant. Eheu ſtudia bene precantum fruſtrata! ſpes in altum euclatas, ac veluti in tutto collocatas, improuisâ tempeſtate, ad indomitas neceſſitatis cautes, allisas! expectationem omnium, qui illius renunciatione in GENERALEM, animum erexerant, fiduciamq; conceperant, non modo Sanctissimæ Religionis

Vita Laudabilis.

Religionis propaganda, verum & amoenitatis pristinae, quam nuper amiserant, recuperanda, elusam! O fortunæ sensum peruersum! o plus æquo contumax iudicium! Cum inter ipsa expetentium suspiria, de mortalium cœtu auulserit, eum quem magnorum sententius virorum, in cœlum ferri, cum admiratione; eruditus ingenij commentis suspici, cum voluptate; nominis denique amplitudine clarere, cum applausu perceperamus! Quis tantum facinus, quis tam feralem immanitatem, cuius virus omnium bonorum peccatum perfodit, non detestetur? Vixisset enim optimus GENERALIS Tuus: toto mundo gloriofa Prædicatorum FAMILIA! non Tu, quem modò vel acerbissimum hauris, sentires dolorem: non Tuorum, pietate, sanctimoniam, prudentiam, auctoritateq; præstantissimorum Patrum, non usu & benevolentiam tibi coniunctorum amicorum, copiosi lacrymarum imbræ, ipsa referante densas cataractas, mœstiam, exangues genas perederent: non hac altaria squalerent, non cantus in gemitus, letitia in luctu, elegia in Epicedia, commutarentur. Vixisset! an non Ecclesia, iucundissimo laborum ipsius fructu gloriaretur? hostes ingenio vafri, moribus perditi, vitâ damnati, studijs illius coegerentur? omnes autem officio, vel amicitia, vel confuetudine deuineti, an non summâ perfunderentur voluptate? Vixisset! enim uero viuit, viuit, Reuerendissimus NICOLAVS RODVLPHIVS, Auditores Mæstissimi. An enim fato interemptum censemus, cuius virtutum lumen non potest extingui? excidisse penitus vitâ putabimus eum, cuius extrema necessitatis periodo vitâ nequit definiri? vetustate aut obliuione famam ipsius credemus obliteratum iri, quam illi honestam viuendi rationem, & illustres, toto decursu huius temporis, actiones peperisse, immortalitatis testantur documenta! Sed ne hic aliquis ambiguitatis scrupulus mentem cuiuspam impetat, & torqueat; liceat etiam inerte calamo indicare, Reuerendissimum NICOLAVM RODVLPHIVM, GENERALI totius inclytæ Sancti DOMINICI Familia Magistrum laudabiliter hanc mortalem vitam exegisse. Quod dum ego in hoc nobilissimo Vestro confessu, & frequentissimo confluxu facere contendeo; Oro, obtestorq; Vos Auditores Honorifcentissimi, ut siquid inculcè, aut minus expedite magnificeq; dixeris, id potius meæ in tam sublimi dicendi facultate, propemodum infantia, quam eximij Patris GENERALIS virtutum magnitudini, quæ edecumatum, cumq; Mercurij æmulum, non autem propriæ sibi consciūm imbecillitatis, requirit Oratorem, tribuendum putetis.

Ac si quis huius instituti rationem diligentius conatur nosse, Reuerendissimum GENERALI hanc sibi honestis in actionibus, & ardua negotiorum mole regulam, in primis præscripsisse; ad cuius amissum, toto vitæ spatio, arderet in sua mente pietas, per contemplationem; floraret cultus religionis, per exemplum; clarerent disciplina, scientiaq; per laborem, ubi cogitauerit; eum sane dum omnibus titulis condecorandam, ast eternum etiam memorandam etatem transfigisse, iudicabit. Quid autem his iucundiis ad recordationem? imò quid solidius ad commendationem? illustrius ad famam, magnificentius ad gloriam,

tutius

Vita Laudabilis.

tutius ad perennitatem? Negò hæc dico, ut tam insignem laudandi virum, illa quoque, quibus præsenti homines atate, usq; ad fastidium gloriantur, desiderem argumenta. Possem ad nominis tanti viri celebritatem, de natalitio RODVLPHIORVM splendore, unde hanc ille, communem in lucem productus, multa proferre: possem bellicorum trophya, Præsum Tiaras, Purpuratorumq; insignia, ex hac inclyta Domo percensere; Familia quippe hæc Florentia usq; adeò celebris, ut potius mihi verendum ducerem, in illius virtutibus explicandis parcus, quam nimius iudicari. Possem viuis documentis contendere, illic humanitati securum domicilium, barbarie certum exitium, clementia solium, feritati præcipitum; frugalitati profugum, luxuria excidium esse; Verum eniuero tametsi non ingratum sit maiorum inniti laudibus: honorificentius tamen est, proprijs inelascere meritis: illis enim tantum incumbentes, inertia cuiusdam arguimus: solidam autem egregijs factis operam, quicunque nauauerint, eorum generosum petitus, & indolem aternis consignandam monumentis prædicamus: itaq; in iis extollendis multò gratiosiorem sentio taciturnitatem haberi: quam illustribus verbis, sapientibusq; sententijs, ad magnificè loquendum, contextam orationem. Felicem nuncupemus oportet Reuerendissimum NICOLAVM RODVLPHIVM, qui virtutes maximè complectebatur; sumosas imagines, & alia ut vicissitudinibus perpetuis obuia, postremo loco reponebat: Ceris maiorum fastuosa mandem gerere, nihil ad eorum laudes accumulandas dignum commendatione facere, vani ne dicam impudentis, & cum ætate, tum facultatibus abutentis esse, arbitrabatur: illis ut excelleret, ac praluceret, vel domitorum mundi Alexandrum, (aut quia indignè tulerit omnia Philippum confiscere, & nihil sibi ubi virtus sua valeret exerci, relinquere; aut quia Philosophorum Principi scripsit, se doctrinâ cæteris anteire malle, quam copijs atque opulentij) æmulabatur. Spectabat hanc illius propensionem propitium cœlum: præsentabant diuino conspectui, mundissimi spiritus, ardens Deum colendi desiderium: Cumq; in illas pias, & cælestis roris plenas, prorumperet voces: Annuat numen supremum, ut me totum illi deuoueam! illucescat oculis meis, optata dies, quam in Hortulanî cælestis vineam vocer! existat in me Diuini Spiritus robur, quo confirmatus aduersis generosè obsistam; ac in solius conditoris Reparatorisque humani generis, cultum conspirem! Cum inquam eiusmodi suspiria, adolescentis humilius & deuotè, frequenter & pie, iucundè & constanter, eiacularetur; præter quod Pater suus consulens, integrum vitæ, sanctum moribus, actionibus stupendum virum (Philippum Nerium intelligo) de futuro Adolescentis successu, hoc Oraculum, Eum S. DOMINICI Familia se deuoturum, in illaque magnum & exemplarem virum futurum, retulisset; verum etiam ipse non ingratus curia superna Cliens, diuinam prouidentiam, in votis proprijs clementem agnouisset. Nimis adiut oratio supplex celorum vertices, penetrauit non cuiuslibet supplicationibus peruios obices: exposuit precantis animi desiderium, & plena laudis, plena consolationis, plena nobilium donorum ad suum rediit auctorem. Quicquam ne optimo adolescenti potuit gratiosius esse, quam mundi vanitatem deserendam?

Vita Laudabilis.

dam, delicias Paradisi quærendas, nihil hic munitum in seculo, nihil securum, nihil diuturnum censem, interno sensu moneri? monitus fuit. Quicquam ne salutarius, quam certum ordinem, cui nomen inscriberet, & partim suam salutem, partim proximorum operaretur necessitates, proponi? propositum habuit. Te namqz gloria Sancti DOMINICI Familia, usque adeo primis ab annis adamauit, ut hic inestimabilem bonorum thesaurum, se inuenturum; hic se inclytas virtutes, vel comparaturum, quibus caruerat, vel perfecturum, quas iam inchoauerat; vel deniqz, quas possederat firmissime propugnaturum considereret. Quidni ita sentiret? Sanctissimus enim hic Ordo Asylum est naufragorum. Quisquis ab archipirata inferorum fugit opprimi, quisquis à suo fido, in humanam perniciem, Achate mundo nimirum metuit spoliari; quisquis à domestico hoste, illo hoste, qui ludens illudit, ridens arrodit, lactans inficit, blandiens suffocat, horrescit eneuari? hic tutamen absque formidine, hic robur in hostes citra periculum inueniet. Huic itaque Reuerendissimus GENERALIS, spatisum mundi mare nauigaturus, & usque ad pacatissimum felicitatis portum appulsurus, fragilem humanæ vitae, commisit ratem. Illius Naucleris, prudenti consilio, maturâ prouidentiâ, sedulâ vigilantiâ, maximis laboribus excellentibus, quod felicius, quam ille apud ingeniosum Alciatum miles, beneficio Clypei, & congredivi cum Piratis, si necessitas fuerit; & pericula superare, si violentiores impetus ingruerint; & emergere si procella, si fluctus in suam perniciem conspirauerint, valeret; tradidit regendam. Et quia non ignorauit, nihil minus decere hominem, sanctè viuere cupientem, quam otium: Nam illud est, quo vires validissimæ etiam atteruntur, labes animo inducitur, ingenium ignorantiae rubigine exeditur: non cum dies absque curis, non nocte citra vigilias deprehendit. Expoliendus fuit animus reconditionibus disciplinis: sic illics incumbebat, ut miraremur alacritatem cum iucunditate: diligentiam cum constantia: studium cum profectu. Enucleanda erant, aequè ex latifundiis Philosophiae petita, ut è diuinæ thesauris sapientie de prompta dogmata; sensum profundum sed clarum: sublimem, ast arrogantiae ignarum: paucis perium, sed omnibus acceptum & salutarem, obstupeceremus. Vedit hæc Roma, & quemadmodum optimorum ingeniorum facundissima parens, non mediocrem de tanto NICOLAI Vesti Patres Religiosissimi conatu laetitiam hausit: mox spem incredibilem, illum talem esse futurum, qui decus Urbis & Orbis, qui subsidium afflictorum, qui lumen Ecclesiae, qui Malleus, Adamante conflatus, Hæreticorum nuncupetur, concepit. Agnouerant Doctissimi quique viri, quam dulces fructus, & uberes, feracissima hæc planta, & domi & foris, diuitias suas in omnes explicando liberalissime erat profusura. Itaqz non tulerunt, quin alijs suam eximiam indolem & morum comitatem suspicent: alijs singulares diuinæ benedictionis dotes, & mansuetudinem contemplarentur: alijs in officijs religionis expediendis amanam frontem, & minimè nubibus obductam, humanitatis & benevolentiae, favoris & amoris, prosequerentur argumentis. Enimvero ille (ò miram prudentiam) cum ut ad Philosophicam falcem illam, quâ vel incus per medium scindi possit, consciendam, diuturnum astrorum influxum, & vim multiplicitis siderum virtutis, requiri-

Vita Laudabilis.

quirisentiret; ita ad Encyclopædiam scientiarum, in eo qui facem sapientie alijs prælaturus, & veluti speculum leuigatum, aut clarissima pharus, omnibus ad inspiciendum imitandum proponendus est, industriam vigere debere intelligeret, quo quo magis laudaretur, eò pluribus se indigere, apud se ipsum, reputabat. An enim putemus eum, Româ aliquando ad Salmaticense studium se recepturum fuisse, nisi tam competenti meditatione rariorū scientiæ, concitatus exstisset? an ingenuas Musas, illas Musas, quarum vis, mortalium tutamen est; quarum dignitas eruditorum nominis perennitas est: illas Musas, quæ adolescentiam alunt, seneclutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium præbent; an inquam, illas adeo libenter & sollicitè audiret, ut non somno ad quietem dato, non quieti relevandarum causa virium concessæ, non relevationi ad amoenitatem, nec amoenitatem ad oblectionem, indulgeret; si non profundæ eruditiois amore flagravisset? O incredibilem illius in his per traetandis constantiam! o admirabilem in exhaustiis tædijs patientiam! sed quis hæc miretur in eo? qui non ignorauisset, tantorum laborum, apud magnos & benè cultos viros, non vile pretium esse: & illis animi firmitudinem augeri, defossos scientiarum uniones, plusquam in Democriti puto, de promi: amplissimos honores describi; illis odia restinguiri, inuidiam coerceri, fastum deprimi, vitam insuper inter monumenta immortalitatis recenserî posse, notum perspectum habuisse. Efferatos nimirum hominum mores! barbaras & ultra ignotas orbis partes eliminandas gentes iudicemus! ubi laboribus contemptus, desidia honor, ubi vigilij dampnum somnolentiae præmium definitur. Vbi! Sed fortunatus Vester GENERALIS Patres Religiosissimi, cum nec ratio sensum, nec iustum desiderium votum, nec spem eius euentus fecellissent! Scilicet eruditissimi ac Principes Religionis viri, cuius præstantes conatus, rectis in actionibus videbunt, eum insignibus laudum encomijs non prosequi non potuerunt: cui cælum ipsu, in arduis negotijs, ac vix Atlantici humeris paribus, fauens intellexerunt; eum dignum laurea Apollinis censuerunt: summo cum applausu coronauerunt. Ast enim, o imperterritum suum animum ad laborem! ut tandem grauibus curis & solitudinibus modum imponeret, nec illi persuadere, nec imperare potuerunt. Nam mitto quam optimè de Philosophicis, & Diuinis disciplinis meritus fuerit: cum ut primum Doctor renunciatus, eas summâ cum alacritate, paucis cognitâ felicitate, incredibili dissentium numero, quodque caput rei est, cum solido profectu omnium, multoties prælegerit. Non commemoro Magister sacri palati constitutus, quam abstrusas difficultates, in scientijs prospere expedierit: & in explicandis plusquam Herculis, aut Gordij nodis, nec Sphingi solertia, nec Stagirite perspicacitate, nec Platoni copiâ, nec Socrati integritate, nec Isocrati suavitate concesserit: utqz laurea ligna in se se collisa ignem; sic ille veluti laurus contra turbines & fulmina constans, laurea donatus, inauditam boni publici propagandi flammam conceperit: sed hæc omnia missa facio, illius certè non meminisse nec possum, nec debeo. A sapientissimis eiusdem instituti viris, in Provincialem Romæ assumptus, adeo curis & totâ contentione animi, commissorum profectui & saluti prospexit; ut & Phocatij querimoniam, studiosum ac frugi virum inueniri non posse contendens, damnauerit: & Vespesianum, nullam dietm absque suorum emolumento

Vita Laudabilis.

mento salutari patiens effluere, socordiae cuiusdam arguerit: & Leontinum illū Oratorem, nunquam cessans ab impensis molestiarum, Platonemq; Sophonis numeros obseruantem, iugi meditatione aut vicerit, aut insigniter fuerit emulatus. Age verò creatus, ad annum 1629. Roma, miro consentientium animorum iudicio, totius Florentissimi Ordinis huius, Magister GENERALIS; hoc tam difficile & perarduum officium, quam studiosè, quam laudabiliter, continua de cem & tribus annis sustinuerit, quis pro dignitate explicabit? An verò aliquis tunc extitisset, qui in tanta multitudine heroicarum eius actionum, non dubitarer, virtute sñē amplissimas primum, an sapientiam? religionem, an pietatem? au steritatem, an humanitatem? disciplinam, an aequitatem? solicitudinem, an comitatem? constantiam, an sanctimoniam? cohortationis fervorem, an vita morumq; exemplum miraretur? Profectò ita his integerrimus NICOLAVS RODVL PHIVS floruit, ut supra omnes, nobilium occupationum studijs, eminere vide retur: & fatalem, quæ bonos plerumq; inseclari consuevit, vitorum lucem, tan quam scopulus, immotæ veritatis petræ innixus, assultantes fluctus, retudisse, fre gisse, dissipauisseq; iudicaretur. Oraram in tam perplexis rebus faustitatem! sed vetus hic mos, istius celeberrimi viri, hostes vincendi, usitatissimum, summos gradus dignitatis administrandi, argumentum. Didicerat quippe mediocribus de ditus, egregijs virtutum splendoribus mentes illustrari, tenebras expungi, nauos elidi, veritatem explicari, semina multiplicis noxæ radicitus euelli, ambitionis tumorem comprimi, moderationē placidis fauonijs in altum prouehi. Quamobrem ijs imbutus, Ecclesiam, & orbem, ita conatus fuit completere luce propria, ne aliena videretur indiguisse: ita maiestatem religionis, comparatis ornamentijs, propagabat, ut expers pigmentis alients agnosceretur: insuper adeò tenax munera sui, & officij vixit, ut & generosum pectus in eo perspicceremus: & sublimitatem honoris, cum assiduo cultu profunda humilitatis intueremur: & singularem lenitatem, cū maxima autoritate contemplaremur: salutarem demum in omnibus institutionem, cum inusitata, & pio Patre digna, propensionis contestatione probaremus. Sane fuit ille, fuit

Vir bonus, & sapiens, qualem vix repperit vnum
Millibus è multis hominum, consultus Apollo.

Adhuc ne miramur, cur ab amplissimis Dynastis expeteretur? à Serenissimis Gal liarum & Hispaniarum Regibus coleretur? à summis Ecclesie viris obseruare tur? cur eorum benevolentia vigeret, liberalitate munificentiaq; diuinum cultum propagaret, in perplexis enucleandis, & in grauissimis dextre conficiendis cælitus adiunctam facilitatem haberet? Cur Gallia, Hispania, Italiaq; Prouincia, cur omnia loca quæcunq; adjisset, in ipsius vultu reluentem gratiam, in mandatis mi ram auctoritatem, in ore fulminantem sapientiam, legerent? Excellentes certè do tes eiusmodi bonis cum cumularunt: hæc bona amor & candor in eo fouerunt: hi diuitum & pauperum, potentum & imbellium, in se animos conuerterunt; & omnium oculis adamandum, colendum, ac propemodum stupendum, exhibuerunt. Magna sunt quæ dixi: sed nullius est tantum flumen ingenij, nulla dicendi scri bendiq; copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, NICOLAI Tui, S. DOMINI gloria Familia, res honorifice gestas possit. Hic ille est vir, qui quó pro-

pensori-

Vita Laudabilis.

pensoribus animis Principum fouebatur, atque acrioribus tempestatum procellis impetebatur: præsidij bona conscientia firmatus, & pernicibus alijs contemplationis eleuatus, non magis prudenter quam constanter, his resistebat: nec magis religiose quam gloriose in Deo tantum lætandum esse ingeminabat. Hic ille! sed rem candidis coruis magis inusitatam videamus. Ut se abdicaret GENERALIS Magistris officio, nonnullis visum fuerat: num cunctaretur? num indignum suis laboribus, ac meritis putauerit? nequaquam. Verum enim uero omnibus insigne specimen mansuetudinis, exemplumq; probitatis daturus, onus hoc potius quam munus, alterius subeundum, ac sustinendum humeris resignauit. Vos hic Aud: Humanis. tantæ virtutis amplitudinē aëstimate: nam ego affirmarem, nullam illi non dicam inueniri, sed nec cogitari parem eloquentiam posse. O verè hic censendus, qui nomini suo in primis respondit: nam hominum opinionem, sensusq; superauit. Hic est, qui minime degenerauit à maioribus: nam consilio salutari potens, auxilio multis præsentissimus exstitit. Hic germanus Romæ ciuis, nequaquam inquilinus, cuius dignitatem non secundus euentus fortune, sed egregia virtus, & summa in laboribus tollerantia, insignem reddiderunt: calliditas & liuor, culmen illius interfingere nequiuierunt. Atq; cum eius anima profunda hæc doctrina insedisset, Cælestem Hierusalem non esse bellatorum spolium, sed mansuetudine præditorum hominum speratam hæreditatem: Cum veluti magnanimus heros perspexisset, Magnam esse virtutem, si non lædat quis à quo læsus est: insignem fortitudinem, si læsus remittat: illustrem gloriam, si cui potuit nocere parcat: cunctis aduersitatibus proficuum medelam adhibebat caritatem. Cælestè profectò non humanum ipsius consilium! caritas quippe hominum mater est & Angelorum: illa non solum, quæ in terris, sed etiam quæ in cælo sunt, componit: ipsa est, quæ Deum homini placat, & hominem Deo reconciliat. Hac ille nutritus, in prosperis cautus, in aduersis magnanimus, inter cædidos letus, inter fucatos sapiens vixit: hæc munitus inter fluctus tentationum securus: in anxietate mitis, ad parendum promptus vixit. Ac murmurauerint sensus proprij: impetuerint se se multorum hominum opiniones, quid illi consilij? quid opis? Nimirum cum S. Chrysostomo in illam vocem erumperat: Gaude innocencia, & exulta, quia ubique secura viues. Si tentaris, proficis: si humiliaris, erigeris: si pugnas, vincis: si occideris, coronaris. Te potentes honorant, suspiciunt Principes, Magnates exquirunt, & illi nonnunquam te desiderant, qui impugnant: tibi boni parent: mali inuident, inimici succumbunt, nec vñquā puteris victrix non esse; etiam si inter homines iudex iustus defuerit. En hominem quadratum! quem nec prosperitas extulit ad fastum; nec calamitas depresso ad fastidium: quem non excellentia laxauit, ad licentiam, nec subiectio proposuit ad tristitiam: non! sed quid amplius immoror! Hæc, hæc est Aud: Hum. laudabilis vita integerrimi viri: nam cogitationibus cæstibus sublimis, laboribus pijs celebris, Heroicis virtutibus toto ferme solo, & Polo clarissima. Hæc sola vita! quia eam a luit integritas: illustrarunt merita: cursus gloria exceptit sempiternus. Huius ille memor sic in publico vixit, ut priuatum diceremus: ita priuatus, ut magnis Ecclesiæ necessitatibus commodum sentiremus: ita hilaris & Comis, ut hæc austertas condiret, ita condiebat, ut nec premis formidaret, nec extolli eminereq; alijs conten deret.

Vita Laudabilis.

deret. Sic ille! Enim uero laudo, laudo Tuam gloriofa S. DOMINICI FAMILIA pietatem! Tu enim, quem labores assidui sapientiae mysterijs imbuerant: quem inclitae virtutes, eminenti locandum solio postularunt: quem grauissimorum iudicia hominum, veluti clarissimum lumen expetierunt: eum Tu, quominus rursum officium GENERALIS Magistri subire grauaretur, votis & precibus adegisti: & pari modo, quamuis dispari successu, ut Guineus Cheldericum, post nuper vitam funeratum THOMAM TVRCVM, GENERALEM cælestis tui instituti, in sublimem hanc, æquè ut formidandam dignitatem assumpisti. Sed eheu desideria tua frustrata! tu optimi plena sensus, ab intimis animi recessibus illi acclamabas: Tum te in littore stiti: ille vorticibus fati nunquam satis cogniti absorptus est. Tu eximiis eius incensa virtutibus ingeminabas: Tu decus omne meum: ille situ ac lugubri Syrmate inuolutus iacet. Tu amore Dei, & studio propagandi fidem Catholicam, inflammata maiori conatu, quam Lysimachus Macedonius in Leones olim, illum in deformes Hippocentauros, & inuisos superis Cyclopes, pugnam instauraturum sperabas: ille, ceu Phænomenon è ferè morâ, qua visus est oculis omnium, iterum illuccescere, extinctus est. Efferasanè & effrenis mors, quæ in hunc tam illustrem, tam integrum, tam promeritum virum debacchata! crudelis ne dicam impia, quæ non illius vita sanctimoniam, non virtutibus maximis, perterrita, illum carissimam vitam spoliauit! Spoliauit? nunquam hæc tantum obscuritatis illi valuit inferre: quantum ille solerti ingenio, pacatis tranquillisq; moribus, quantum admirabili dexteritate, varijs in negotijs, vita suæ luminis conciliauit. Nunquam mors suâ rabie, hinc eum eripiens, tantum ipsi in ocumenti peperit: quantum ille modo emolumenti, in illa vita, quæ affluit delicijs, expers est calamitatis: cuius nomen dulce, res autem salutaris: cui inuidet Dæmon, ingrata tellus, exosus mundus; quam horret infernus, nescit Epicurus, non contemnit nisi perditissimus, est consecutus. O vita gemmis candidior, unionibus pretiosior, iucundis rebus amœnior, uniuersis facultatibus mundi optabilior! Agnosce & refice pios Manes integerrimi GENERALIS NICOLAI RODVLPHII: quia te solicite quæsui: iube illos perfundi neclare, & ambrosiâ perennitatis: quia tot tempestates, tot procellas & fluctus tuâ causâ strenue subiit, pertulit, deuicit: restitue meritis laboribusq; eius solium quietis: quia dies & noctes, in tuis laudibus propagandis euigilauit. Nec putas meam hanc tantum vocem esse: hoc Ecclesia Catholica, toto mundo diffusa: hoc gloriosus S. DOMINICI Ordo, hoc denique letissima hac, frequentissimaque, nobilissimorum hospitum corona, salutari illâ, ac veluti cælitus acceptâ voce: Absorbeatur mors eius in victoria: mereatur lucis æternæ beatitudine perfaci, humillime deprecatur.

